

ram declaramus, dicimus, definimus, et pronunciamus omnino esse de necessitate salutis. » Et habetur etiam definitum in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. in c. *Firmiter 1. de summa Trinitate*, ibi: « Una vero est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse Sacerdos est Sacrificium Jesus Christus; » habetur etiam definitum in Concilio Florentino sub Eugenio IV. ut in ejus Constitut. incip. *Latentur*, ibi: « In Universo Orbe primum tenet, est successor B. Petri et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Pater, et Doctor, cui in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi Universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plena potestas tradita est. » Hinc a Leone X. in Constitut. incip. *Exsurge*, fuit tamquam Hæresis proscriptus sequens error Lutheri in ordine 23: « Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro constitutus. » (26. Ecclesia enim Romana commissa Petro, et successoribus ejus Romanis Pontificibus, a quibus tamquam a Capite Romana denominatur, pro eodem sonat ac universalis, (27. unde quamvis Summus Pontifex, qui est Pastor Universalis omnium Fidelium, Romæ non sedeat, ut de facto plures non ibi sederunt, adhuc tamen appellatur semper Romanus Pontifex, et sola Ecclesia Romana appellatur *Una, Sancta, Catholica, seu Universalis, et Apostolica*, ut constat ex Constitut. incip. *Gloriosam*, edita a Joan. XXII. qui nunquam Romæ sedit, ibi: « Una est igitur Sancta, Universalis, Apostolica, atque Romana Ecclesia, extra quam salus esse non potest, quia natura non patitur, ratio non sinit, et Divina providentia non permittit, ut membrum, quod a totius Corporis unitate sejungitur, virtute, quæ a vertice in corpus influit, aliquantulum vegetetur. » Unde S. Augustinus *de Symbolo ad Catechumenos*, serm. 1. cap. 6. sic expresse dicit: « Ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia Una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes Hæreses pugnans; pugnari potest, expugnari non potest; Hæreses omnes de illa exierunt tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa; » Et serm. 4. *de eod. Symbolo ad Catechumenos* cap. 13. dixit: (28. « Si quis absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit a numero filiorum, nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem. » Vide Tournelium *de Eccl.* quæst. 11. art. 6. p. 3.

ARTICULUS II.

Ecclesia quoad ejus visibilitatem, indefectibilitatem et infallibilitatem.

(1. Ecclesia vera Christi est, et fuit semper absolute visibilis, ut tenent unanimiter Catholici contra Novatores, et deducitur ex pluribus Scripturæ textibus. In *Psal.* enim 18. dicitur: *In sole posuit tabernaculum suum*, quod ibi de Ecclesia intelligit S. Augustinus dicens: « In sole posuit tabernaculum suum, hoc est in manifestatione posuit Ecclesiam

suam, non in occulto; » et idem habet in *Epist.* 166. *ad Donatistas*, ibi: « Ipsa Ecclesia in sole posita, hoc est in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terræ. » *Matth.* 18. præcipit Christus, ut quando Frater noster est incorrigibilis, dicamus Ecclesiae, ibi: *Dic Ecclesiae, et si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus et publicanus.* Verba autem illa *Dic, et si non audierit*, indicant apertissime Ecclesiam esse visibilem cum ibi mandet Christus, ut ad Ecclesiam, prout ad Judicem controversiarum recurramus, eaque audiatur, quod nullimode posset fieri, si Ecclesia esset invisibilis. De Ecclesia item visibili intelligendum est illud *Actorum* 18. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Grex enim, qui non videtur, nec cognoscitur, nequit a Pastore regi, et gubernari, adeoque si Ecclesia est regenda, et gubernanda ab Episcopis, non est cæcus, seu congregatio invisibilis. Item de Ecclesia visibili illud 1. *ad Timoth.* 3. *Ut scias quomodo oporteat te in Domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Per verbum enim illud *conversari*, denotatur clare visibilitas Ecclesiae, cum non possit quis conversari cum invisibilibus. Item de Ecclesia visibili intelligitur illud *ad Galatas* 1. *Persequar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam.* Cæcum enim invisibilem non potest quis persequi; et si Paulus Ecclesiam expugnabat, necessario videbat, ubi ipsa Ecclesia, seu congregatio expugnanda existeret. Item de Ecclesia visibili intelligitur illud *Actor.* 13. *Cum venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia,* et cap. 18. *Ascendit Paulus, et salutavit Ecclesiam.* Hæc enim nequeunt convenire Ecclesiae invisibili.

(2. Ecclesiam esse visibilem ostenditur etiam evidenti ratione, quia illa Ecclesia est visibilis, in qua publice convocantur Concilia, sancuntur Canones, damnantur Hæreses, Pastores visibiliter docent subditos, subditi obediunt Pastoribus, Sacramenta sensibilia administrantur, etc., sed hæc omnia fiunt in vera Ecclesia Christi, ut de se patet, ergo, etc. Tum quia de ratione essentiali ipsius Ecclesiae, ut patet ex ejus definitione, est, quod sit congregatio, seu societas quædam hominum baptizatorum: atqui non potest dici congregatio, seu societas hominum, nisi in externis et visibilibus signis consistat, cum non sit societas nisi se agnoscant ii, qui dicuntur socii; nec homines se possint agnoscere, nisi societatis vincula sint externa et visibilia. Et hoc patet clarissime ex more omnium humanarum societatum, seu congregationum; nam in Civitatem, in Regnum, et Militiam, et alia hujusmodi, non aliter homines adscribuntur, quam signis externis et visibilibus. Hinc S. Augustinus *l. 19. contra Faustum* cap. 12. sic expresse dicit: « In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilibus consortio colligantur. » Unde idem S. Augustinus *Epist.* 105. n. 14. scribens ad Donatistas ipsos adhortando ad

unitatem visibilis nostræ Ecclesiae, eos sic alloquitur: « In Scripturis discimus Christum; in Scripturis discimus Ecclesiam. Has Scripturas (o Donatistæ, o Hæretici) communiter habemus, quare non in eis, et Christum, et Ecclesiam communiter retinemus? » Et n. 17: « Ecce Scripturæ communes; ecce ubi nomines Christum, ecce ubi nomines Ecclesiam; Si Christum ipsum tenetis, ipsam Ecclesiam quare non tenetis? Si in ipsum Christum, quem legitis, et non videtis, tamen propter veritatem Scripturarum creditis, quare Ecclesiam negatis, quam legitis et videtis. »

(3. Christi Ecclesia visibilis, seu Ecclesia Romana Catholica, est indefectibilis, et semper duratura usque ad finem mundi. Est de fide, et habetur expresse ex cap. 16. *Matth.* ibi: *Dico tibi, Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Atque si defecisset, aut potuisset deficere, adversus eam prævaluissent, aut potuissent prævalere portæ inferi, ergo, etc. Item 1. *ad Timoth.* cap. 3. dicitur: *Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis*, sed non potest deficere veritas, ergo nec ejus columna; cum deficiente sustentaculo debeat necessario corrumpi sustentatum. (4. Colligitur etiam ex aliis Scripturæ locis, ubi clara est promissio perpetuitatis, et indefectibilitatis Ecclesiae visibilis; sic nomine ipsius Ecclesiae *Matth.* 28. dicitur: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: Et ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Hæc enim verba, ut de se patet, dicta sunt ad Ecclesiam visibilem, scilicet ad Apostolos et Discipulos cæteros, quos in die Ascensionis suæ Dominus alloquutus est, adeoque ex promissione Christi, Ecclesia visibilis duratura est usque ad consummationem sæculi. *Ad Ephes.* dicitur: *Dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, et Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem Fidei, et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, et mensuram ætatis plenitudinis Christi;* Ubi, ut vides, Apostolus clare demonstrat Ecclesiam visibilem Christi duraturam esse usque ad novissimos dies, id est usque ad finale Judicium, quando complebitur numerus electorum. Cum enim Pastores et Doctores non dentur, nisi gregi esistenti, et visibili, et ex ipso textu Pastores, et Doctores debeant esse visibiles et perpetui, grex etiam debet esse visibilis et perpetuus.

(5. Colligitur etiam Ecclesiae visibilis perpetuitas, et indefectibilitas ex variis Veteris Testamenti testimoniis, quæ perennitatem Ecclesiae visibilis clare indicant, et promittunt; *Psal.* 47. dicitur: *Deus fundavit eam in æternum*, id est Ecclesiam suam, ut ibi exponit S. Augustinus; *Isaia* 61. (quod caput intelligi de Ecclesia Novi Testamenti docuit Christus *Lucæ* 4. cum in Synagoga citavit, et exposuit de adventu suo

initium hujus capitis, *Spiritus Domini super me*, etc.), sic dicitur: « Et fœdus perpetuum feriam eis, et sciatur in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum; omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. » Ubi vides satis aperte indicari perpetuitatem, et indefectibilitatem Ecclesiae visibilis; non enim potest esse invisibilis Ecclesia illa, seu cæcus ille fidelium, de quo dicitur: *Omnes qui viderint eos (quid clarius?) cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* *Psal.* 88. dicitur: *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in Cælo fidelis;* ibidem: *et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus, sicut dies Cæli.* *Daniel.* 2. dicitur: *Suscitabit Deus Cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Istæ enim Scripturæ intelliguntur passim a Sanctis Patribus de vera et visibili Christi Ecclesia numquam defectura.

(6. Ostenditur etiam expresse ex Sanctis Patribus. S. Augustinus *de unitat. Eccles.* cap. 12. sic habet: « Evangelizata est nobis Ecclesia per totum orbem terrarum futura. Hoc in Lege, et prophetis, et Psalmis esse prænunciatum ipse Dominus testificatus est, qui eam cœpturam ab Jerusalem, et per omnes gentes permansuram esse prædixit; testes sibi futuros in Jerusalem, et in tota Judæa, et Samaria, et usque in totam terram, cum jam in Cælum ascenderet, prænuntiavit..... Quisquis aliud evangelizaverit anathema sit; aliud autem evangelizat, qui periisse dicit de cætero mundo Ecclesiam, et in sola parte Donati » (seu Lutheri, Calvini, aliorumque Protestantium) « in sola Africa (Germania, Geneva, Saxonia, Prussia, Hollandia, Anglia, et hujusmodi), remansisse dicit; ergo anathema sit, aut legat mihi in Scripturis Sanctis, ut non sit anathema. » Et idem S. Augustinus lib. 1. *de Symbol. ad Catechumenos*. cap. 5. ait: « Ipsa est Ecclesia Sancta..... pugnari potest, expugnari tamen non potest; Hæreses omnes de illa exierunt tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in Charitate sua, portæ inferorum non vincunt eam. » S. Hieronymus *in cap. 4. Isaia vers. 76.* sic dicit: « Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine, ventisque subvertitur. » S. Gregorius Magnus *in Psal. 5. Penitent. 26.* sic expresse habet: « Sancta Ecclesia in hoc sæculo a Catholica Fide nequaquam deficiet. » S. Ambrosius *lib. 4. Hexaëmeron. cap. 2.* sic ait: « Ecclesia tempora sua habet persecutionis et pacis, nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit, obumbrari potest, deficere non potest. » S. Joann. Chrysostomus *serm. de Pentecost.* tom. 3. sic habet: « Putas eam te posse lædere, sed non poteris; Christus enim propter eam passus est, portæ inferi non prævalebunt adversus eam. »

(7. Ecclesia Romana Catholica in rebus Fidei et morum est infallibilis: seu er

rare non potest. Est de fide; et ostenditur ex pluribus Sacrae Scripturae testimoniis. Joan. 16. dicitur, *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, hoc autem Christus promittebat immediate Apostolis, et mediate eorum successoribus; sed qui scit omnem veritatem, non potest errare in materia Fidei, alias sciret, et non sciret. Ergo Ecclesia sic de omni veritate edocta non potest errare in rebus Fidei et morum. Luca 10. Christus alloquens Ecclesiae Pastores, sic dicit: *Qui vos audit, me audit*, sed hoc non esset, si Ecclesia Catholica posset errare: Ergo, etc. Minor probatur, quia si omnes simul constituentes Ecclesiam posset errare, qui ipsos audiret errantes, non audiret Christum, cum Christus non possit falsum proponere, ergo etc., adeoque Matth. 18. dicitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus*; ex quo textu clare indicatur Ecclesiam Catholicam esse infallibilem, aliter non posset haberi tamquam Ethnicus, non audiens Ecclesiam, quae esset fallibilis, et forte errores proponeret. Epistol. 1. ad Timoth. cap. 3. dicitur: *Ecclesia est columna, et firmamentum veritatis*, adeoque tamquam firma in veritate, errare non potest in fide. Epistol. ad Ephes. cap. 1. dicitur: *Ipsam dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius*, et in eadem Epistol. c. 5. dicitur: *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae*; adeoque si Ecclesia in rebus Fidei et morum erraret, error tribueretur Christo suo Capiti, quod absurdum ne dicatur, dicendum est Ecclesiam esse infallibilem, seu errare non posse in materia Fidei et morum.

(8. Luca 22. dicitur: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua, quem textum exponens Joannes XXII. in Constitutione incipiente, Redemptionem*, sic ait: « Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, dumque pro Petro Christus rogat, pro ejus Ecclesia intercedit. » Matth. 16. habetur: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam; ubi, ut vides, ne possit errare Ecclesia, facta est promissio Magistro, et capiti; quia ex securitate non errandi in materia fidei, et morum prius in Romano Pontifice capite et Magistro universalis Ecclesiae resultat securitas non errandi in Ecclesia quae ejus doctrinam infallibilem recipit, ut optime observat M. Canus lib. 6. de Locis c. 3. § Præterea, ibi: « In Petro, et successoribus primum firmam certamque doctrinam asserimus, mox vero in Ecclesia Romana, cujus Petrus cum successoribus et caput, et fundamentum est. » (9. Et hæc Ecclesiae infallibilitas colligitur etiam ex pluribus sacris Canonibus; ut cap. Palam est 9. dist. 11. cap. A recta 9. cap. Memor sum 10. cap. In sede 11. cap. Hæc est fides 14. cap. Rogamus 15. et cap. Si Petrus 17. caus. 24. quæst. 1. cap. Firmiter 1. de Sum. Trinit. cap. Exiit, de verb. significat. in 6. et c. Unam san-*

ctam, de Majoritate, et obedientia inter communem.

(10. Unde Ecclesia Catholica Romana est regula Fidei et morum in toto mundo. Agapitus epistol. 4. Leo IX. epistol. 1. cap. 8. Concil. Lateranens. III. in appendic. tit. de Spons. et cap. 2. et 7. Conc. Trever. cap. 1. (11. Sola potest definire causas fidei; cap. Quoties 12. caus. 24. quæst. 11. Fidei resolvere dubia, et quæstiones ad fidem spectantes. Cajus epistol. 1. Marcell. I. epistol. 1. Pelagius III. epistol. 8. in fine c. Neclivuit 4, etc. 12. Multi 5. dist. 17. (12. Sola fides Ecclesiae Catholicae Romanae est ab omnibus tenenda, et non alia; c. Rogamus 15. caus. 24. q. 1. Joan. VIII. ep. 194. Concil. Trev. c. 1. (13. Non tenens illam Fidem, quam Ecclesia Romana docet, non est in Ecclesia; c. Qui Cathedram 3. dict. 93: « Qui cathedram Petri (supra quam fundata est Ecclesia) deserit, in Ecclesia se esse non confidat. » Non habet Spiritum Sanctum, cap. Loquitur Dominus 18. c. Alienus est 19. et c. Advocavit 23. caus. 24. q. 1. (14. Hinc Ecclesia Romana dicitur Mater et Magistra omnium Ecclesiarum; cap. Non decet 1. dist. 12. ibi: « nulli vero dubium est quod Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, a cujus regulis nullatenus vos convenit deviare; et sicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris sui, sic et vos implete voluntatem Matris vestrae, quae est Ecclesia, cujus caput Romana consistit Ecclesia; » et concordat cap. Denique 6. dist. 21. et cap. Firmiter 1. de Sum. Trinit. (15. Ecclesia Romana est etiam caput Ecclesiae Graecae; cap. final. de Baptismo; quia fundavit Ecclesias Patriarchales; cap. Omnes 1. dist. 22. eique sunt subditæ Ecclesia Constantinopolitana, et omnes aliae, cap. de Constantinopolitana 4. dist. 22. cap. Rogamus 15. caus. 24. quæst. 1. Leo IX. epistol. 1. cap. 28. et cap. final. de Privileg. in 6. Unde Ecclesia Romana est infallibile caput Religionis; Nicolaus I. in appendic. epistol. 14. et cap. Officii nostri 13. cap. Hæc est fides 14. cap. Rogamus 15. caus. 24. quæst. 1. ibi: « Rogamus vos, Fratres dilectissimi, ut non aliud doceatis, neque sentiatis, quam quod a B. Petro, et reliquis Apostolis, et Patribus accepistis: ipse enim est caput totius Ecclesiae, cui ait Dominus: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.... ejus enim sedes jubente Domino Romam translata est.... ad quam cuncta majora Ecclesiastica negotia, Divina disponente gratia, jussa sunt referri. »

(16. Romana Ecclesia habet annexum primatum universalis Ecclesiae ex institutione, et præcepto Christi Domini. Habetur clare ex pluribus sacris Canonibus, et signanter ex cap. Quamvis 3. dist. 21. ubi ex verbis S. Gelasii Papae sic habetur: « Quamvis universæ per Orbem Catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sint, Sancta tamen Romana, Catholica et Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est, sed Evange-

lica voce Domini, et Salvatoris nostri primatum obtinuit; » cap. Omnes 1. dist. 22. ubi ex verbis Nicolai II. sic habetur: « Qui Romanæ Ecclesiae Privilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur; » cap. Sacrosancta 2. ead. dist. 22. ubi ex verbis S. Anacleti Papae, (1) sic habetur: « Sacrosancta Romana, et Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, et eminentiam potestatis super universas Ecclesias: » cap. Rogamus 15. caus. 24. q. 1. ubi ex verbis S. Marcelli Papae scribentis ad Episcopos per provinciam Antiochiæ constitutos, sic habetur: « Ejus enim (Petri) Sedes primitus apud vos fuit, quæ postea, jubente Domino, Romam translata est. » Epistol. ad Michaëlem Imperatorem scripta a Nicolao primo sic habetur: « Ecclesiae Romanae privilegia Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, atque a cuncta jugiter Ecclesia venerata, nullatenus possunt minui nec commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanos non valet amovere conatus, et quod Deus statuit firmum, validumque constituit. » Et infra: « Illa igitur privilegia huic S. Ecclesiae a Christo donata, a Synodis non donata, sed solummodo celebrata, et venerata: » cap. Per venerabilem 13. Qui Filii sint legitimi, ubi ex verbis Innocentii III. sic habetur: « Locutus, quem elegit Dominus, Apostolica sedes esse cognoscitur: cum enim Petrus Urbem fugiens exivisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat, revocare: interrogatus ab eo: Domine, quo vadis? respondit: venio Romam iterum crucifigi; quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reversus. »

(17. Nec potest dici, quod Romana Ecclesia obtinuit primatum Ecclesiae Universalis a Concilio Nicæno, ut volunt Schismatici; seu ab Imperatoribus Christianis, ut prætendunt Lutherani, Calvinistæ et Magdeburgenses, alique Hæretici; nam, ut refert Bayl. summ. Conc. tom. 1. in Conc. Chalcedonensi ad can. 27. in præfatione d. Conc. Nicæni expresse dicitur: « Quod Ecclesia Romana nullis Synodicis decretis prælata est cæteris Ecclesiis, sed Evangelica voce Domini, et Salvatoris nostri Primatum obtinuit. » At si « voce Domini, » ut in mox laudato Conc. Nicæno, si « ab ipso Domino Salvatore nostro, » ut in d. cap. Sacrosancta, si « Jubente Domino, » ut in d. cap. Rogamus, si « Christi ore, » ut in d. Epistol. Nicolai primi, Romana Eccle-

(1) Hæc, et sequentia Marcelli Papae verba expungi possent ac fortasse debuerant, cum ex suppositis Anacleti, et Marcelli epistolis sumpta sint. (EDIT. BARBIEL.)

(2) Id ipsum multis adversus Febronium ostendit Franc. Antonius Zaccaria Antifebron. Tom. 2. Casen. edit. diss. 2. c. 1. n. 4. seqq. (EDIT. BARBIEL.)

(3) Non solum juxta varias classes varia sortuntur nomina Ecclesiae, sed etiam juxta varios fines. Præcipuus fuit honor Dei; hinc dominica passim apud veteres dictæ sunt. Vide Cyprianum de Opere

sia obtinuit primatum Ecclesiae universalis nullimode potest ab hæreticis dici, quod illum obtinuit ab Imperatoribus Christianis. (18. Unde Eugenius IV. in Concilio Florentino in litteris unionis sententiam nostram clare confirmat, ibi: « Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum.... et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. » Hinc Sedes Apostolica non potest a Romana Urbe divelli, et alio transferri, et ideo non obstantibus tot Romanæ Urbis excidiis, semper Apostolica Sedes Romæ fixa permansit, et licet pluribus annis Avenione resederint plures summi Pontifices, ut Clemens V, qui illuc primus se transtulit, Joannes XXII, Benedictus XII, Clem. VI, Urbanus V, Greg. XI, qui Romam Romano Curiam reduxit, tamen Apostolica Sedes Romano Episcopatu semper annexa remansit, et ipsi semper Romani Pontificis titulo sunt usi, ut patet in eorum Apostolicis, et Pontificiis Rescriptis. Unde, ut refert Eminentissimus Petra tom. 4. Comment. in Constit. 4. Eugen. IV. num. 6, stat vulgatum adagium, quod ubi Papa, ibi Roma. (19. Adeoque clare patet ordinatione divina, et non dispositione humana Ecclesiae universalis primatum Romanæ Ecclesiae fuisse annexum. Sicutenim Cajetanus tom. 1. opusc. tract. 3. de Pontif. Instit. c. 13. M. Canus lib. 6. de Locis Theolog. c. 4. Valentia de Fid. disp. 1. q. 1. punct. 7. § 37. Guarnieri de Capite Militantis Eccles. lib. 2. c. 8. Tirinus in Summar. contror. contror. 6. num. 11. Matthæucci contror. 6. c. 2. n. 2 et seq. Leytam Synops. de Eccles. Militant. Discept. 5. sect. 4. n. 409, et plures alii (2).

ARTICULUS III.

Ecclesia materialis quoad ejus aedificationem, dotationem et reparationem.

(1. Ecclesia materialis, quæ ex Gloss. ultim. in cap. fin. Ne prælati vices suas, definitur, *Locus sacer murorum ambitu circumdatus*, juxta varias ejus classes (3) varia sortuntur nomina: Aliquæ enim vocantur Basilicæ, aliæ Cathedrales, aliæ Collegiatae, aliæ Baptismales, aliæ Parochiales, aliæ Matrices, aliæ Filiales, prout colligitur ex notatis per Gloss. et Doctores in cap. Plures 10. q. 1. in c. Cum contingat, de Decim. in cap. Cum Clericis et in c. Venerabili de V. S. (2. Basilicæ, licet secundum Rochum de Curia, Mandosium, Remigium, Duareum, Turrecrematam, quos

et Eleemos. Eusebium de Laudib. Constant. cap. 17. et Concilia Ancyranum can. 15. et Laodicenum can. 28. Quoniam vero in sacris ædibus Martyrum vel corpora, vel lipsana condi consueverunt, ut in illis quoque Deus, qui eos in certamine gratia sua adjuverat, coleretur, Martyria, Concilia Martyrum, et Martyrum memoria vocabantur. Prostrata tandem idololatria, Templorum nomen, a quo antea religionis causa abstinerant, apud Christianos obtinuit. (EDIT. BARBIEL.)